Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



thel

105

brachia regis babilonis · dabo quoque gladium meum in manu eius et confringam brachia regis pharaonis et gemet gemitibus in conspectu faciei eius · et confortabo brachia regis babilonis et brachia pharaonis corruent et scient quia ego dominus cum dedero gladium meum in manu regis babilonis et extenderit eum super terram egipti et disperga egiptum in nationes et ventilabo eos in terras et scient quia ego dominus ezi c

XXXI

Factum est in undecimo anno in tertio mense factum est verbum domini ad me dicens fili homo dic pharaoni regi egipti et populo eius Cui similis factus es in magnitudine tua · Ecce assur quasi cedrus in libano · pulcra ramis et frondibus nemorosus excelsus quoque altitudine et inter condensa frondes elevata est cacume eius · Aque nutrierunt illum · Abissus exaltaverunt eum flumina eius manabant in circuitu radicis eius et rivos suos emisit ad universa ligna regionis propterea elevata est altitudo eius super omnia ligna regionis et multiplicata sunt arbusta eius et elevata sunt rami eius prae multitudine aquarum · Cumque extendisset umbram suam in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia celi et sub frondibus eius pepererunt omnes bestie silvarum et sub umbraculo illius habitabat omnis gentis multitudo · erat quoque pulcherrima in magnitudine sua et in dilatatione arbusculorum suorum · Erat enim radix illius iuxta aquas multas · Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso dei propterea hec dicit dominus deus · Pro eo quod sublimatus est in altitudine et dedit summitatem suam inter condensum et elevata est cor eius in altitudine sua · tradidi eum in manu fortissimi gentium · Iniquitate fecit ei iuxta impietatem eius · Eiecit eum et suscenderunt eum alieni et crudelissimi nationum · Ceciderunt super montes et in omnibus convallibus corruerunt rami eius et confracti sunt arbusta eius in universis rupibus terre et recesserunt de umbraculo eius omnes populi terre et reliquerunt eum · Super ruina eius habitaverunt omnia volatilia celi · et in ramis eius fuerunt universe bestie regionis · Quamobrem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum